871
P8.Yo
1886

UNIVERSITY OF
ILLINOIS LIBRARY
AT URBANA-CHAMPAIGN
CLASSICS

PROGRAMM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS

des

Königlichen Katholischen Gymnasiums

zu

Gross-Glogau

für das Schuljahr 1885/86,

mit welchem zu der

am 13. April abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und zu der

auf den 14. April festgesetzten

Schluss-Feierlichkeit

ergebenst einladet

der Direktor

Johann Peter Jungels.

Inhalt:

1. Abhandlung des Gymn.-Lehrers Dr. A. Otto: De fabulis Propertianis. Particula II.
2. Schulnachrichten.

Gross-Glogau.

Druck von Carl Flemming.

1886.

1886. Progr. No. 171.

P8,40
1886
Classics

De fabulis Propertianis.

Particula II.

Qua ratione Propertius in fabulis adhibendis usus sit, quibus ex fontibus hauserit, quos imitando auctores expresserit, prima particula eius dissertationis, quam abhinc sex annis de fabulis Propertianis scripsi[1], et in universum docui et in iis fabulis, quae ex carminibus epicis desumptae sunt, accuratius explicare conatus sum. Iam igitur, cum ceterae adhuc restent poetae doctissimi fabulae, tandem aliquando oblata occasione diu exoptata[2] persequi, quas tunc institui quaestiones ac primum

de deorum fabulis

agere mihi in animo est.

In quibus recensendis initium facere liceat a Gigantibus vel Titanibus (saepe enim inter se confunduntur inde ab Alexandrinorum poetarum aetate), qui Iovi, priusquam regnum caeli firmum atque stabilitum obtineret, devincendi erant. Quos quidem poetae elegiaci non tam ad sententias confirmandas solent adhibere, quam iis locis, quibus vires suas carminum epicorum ponderi non sufficere affirmant. Sic igitur Propertius II 1,19

Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, ut caeli Pelion esset iter,

---

[1] De fabulis Propertianis. Particula I. Vratislaviae 1880.

[2] Ut nunc demum tot annis interiectis in fabulis Propertii tractandis pergere possim, ante omnia factum est culpa bibliopolae cuiusdam Berolinensis, qui, cum totam dissertationem imprimendam suscepisset, libellum manu scriptum, postquam diu retinuit, mihi remisit neque id quod promiserat praestitit. Ceterum ex quo prodiit prior dissertationis meae pars, ea quae p. 2 sqq. de Propertii auctoribus Alexandrinis ac maxime de Callimacho in universum disputavi, ab aliis et repetita et uberius pertractata sunt, ita tamen ut aut libelli mei nulla omnino mentio fieret, aut falsa referrentur. Velut G. Knaack, qui in Analectis Alexandrino-Romanis (dissertatio edita est a. 1880 Gryphiswaldiae, paucis mensibus post meam) hanc posuit sententiam controversam (V): „Errant qui Paulum Silentiarium Propertii carmina legisse contendunt: immo eundem poetam Graecum (Callimachum) imitatus est uterque“, et angustioribus finibus rem circumscripsit, neque quid inde fructus redundet ad Callimachum recte aestimandum satis videtur intellexisse. Deinde de Graecis Propertii fontibus docte sane et accurate egit Fr. Mallet (Quaestiones Prop. Gottingae 1882). Qui quo iure Aug. Reifferscheidium et me a C. Diltheyi partibus stetisse contendat, cum Propertium et epigrammatum, quae sunt in Anthologia Palatina, auctores ad eundem fontem (Callimachum) revocaremus, ipse videat, certe quo loco Diltheyus huic sententiae patrocinatus sit, non adscripsit, ego frustra quaesivi. Denique de G. Langio, qui quam de Callimachi elegiis ab aetiis diversis protuleram sententiam, eisdem fere argumentis, quibus ipse quoque usus eram, comprobare studuit (de Callimachi aetiis. Lipsiae 1882) rectissime iam iudicavit E. Heydenreich (Philol. Rundschau 1883 p. 33—39).

825075

et v. 39

Sed neque Phlegraeis Iovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus,

et IV 8,47

Te duce vel Iovis arma canam caeloque minantem
Coeum et Phlegraeis Oromedonta iugis,[1]

eademque ratione Ovidius trist. II 333 „At si me iubeas domitos Iovis igne Gigantas Dicere, conantem debilitabit onus," am. II 1,11 „Ausus eram, memini, caelestia dicere bella Centimanumque Gyan, et satis oris erat, Cum male se tellus ulta est ingestaque Olympo Ardua devexum Pelion Ossa tulit." Quam autem altero loco laudavi Propertii sententiam, eam esse Callimacheam, et ipsius poetae mentio docet et fr. 490 (O. Schneider): „*βροντᾶν δ' οὐκ ἐμὸν, ἀλλὰ Διός*," quamquam dubium est, utrum iam Callimachus Gigantum pugnam comparaverit, an Propertius de suo addiderit. Sed de ipso Gigantum impetu et de Ossa, Pelio, Olympo montibus in caelum congestis, quos iterum iterumque repetunt poetae Latini (cf. e. g. Verg. georg. I 278. Hor. c. III 4,49. Ov. metam. I 154. fast. III 441. ex Pont. II 2,9 al.) cum nuper diligenter disputaverit A. Zingerle (Zu spät. latein. Dichtern II p. 40 sqq.), totam hanc materiam retractare non opus est, unum tamen non praetermittendum, quod virum doctissimum non fugit, Propertii verba proxime accedere ad fontem primarium Hom. Od. XI 313 sqq.

„*Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ*
Φιλοπίδα στήσειν πολυάικος πολέμοιο
Ὄσσαν ἐπ' Οὐλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη,"

ut de imitatione dubitari nequeat.[2] Titanum vero et Gigantum inter se confusorum apud Propertium exemplum habes Coeum Titana.[3] Multo difficilius dictu est, quid de Oromedonte, cuius nomen alibi nusquam reperitur, statuendum sit. Ac facillima neque improbabili mutatione multi *Eurymedonta* scripserunt, quem Gigantum regem vocat Homerus Od. VII 58.[4] Quae quidem coniectura etiam eo commendatur, quod apud Theocritum (id. VII 96), ubi in codicibus nonnullis legitur *ὠρομέδοντος*, nunc iam omnium consensu receptum est *εὐρυμέδοντος*. Sed tamen fieri potest, ut iam Propertius, quippe qui in nominibus propriis haud pauca habeat singularia, corruptam nominis formam ante oculos habuerit, praesertim cum in hac ipsa fabula alii auctores aliis utantur nominibus (cf. Pingel l. l. p. 55).

Titanum nobilissimus fuit Prometheus, quem non tantum ignem e caelo surripuisse et ad homines detulisse, sed etiam ipsos homines finxisse Graeci posteriores eosque secuti Romani fabulabantur (cf. Preller Gr. Mythol. II[3] p. 81 not.). Itaque Propertius IV 4,7 cum dicit

O prima infelix fingenti terra Prometheu!
Ille parum cauti pectoris egit opus:

---

[1] Cf. etiam Prop. IV 10,37 „Issent Phlegraeo melius tibi funera campo." In Campaniam transfert I 20,9 „Sive Gigantea spatiabere littoris ora" cum aliis auctoribus multis, quos enumerat Pingel: de Gigantibus fabularum Graecarum p. 54.

[2] Imitatur etiam Quint. Smyrn. I 517.

[3] De Coeo cf. Verg. georg. I 279, cuius loci Propertius fortasse non immemor fuit.

[4] De Eurymedonte aliquam fabulam narraverat Euphorio (schol. Hom. Il. XIV 295).

Corpora disponens mentem non vidit in arte,[1]
Recta animi primum debuit esse via

cum omnibus recentioribus auctoribus,[2] etiam cum Callimacho suo (cf. fr. 87. 133) re consentit, sed ne sententia quidem atque usus fabulae analogia caret. Ita enim Menander (Luc. Am. 43) „Εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον γράφουσι τὸν Προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις — γυναῖκας ἔπλασεν, ὦ πολυτίμητοι θεοί, ἔθνος μιαρόν," et Stat. Theb. XI 468 „O furor, o homines, diraeque Prometheos artes!" Similiterque in Prometheum invehuntur Horatius c. I 16,13, I 3,25, ubi post eum omnia mala terris incubuisse ait, Nonnus Dion. VII 56 sqq., Strato (Anthol. Pal. XII 220), Achill. Tat. p. 74,11 sqq. Herch., Eustath. ad Hom. Od. p. 277,5.

Deinde Promethei ad saxa Caucasi alligati bis memor est Propertius: II 1, 69

Idem Caucasea solvet de rupe Promethei
Bracchia et a medio pectore pellet avem[3]

et III 20, 24

Caucaseas etiam si pateremur aves.

Ac prior quidem locus ita est comparatus, ut tabulam pictam poetae in mente fuisse facile suspicari possis (cf. part. I p. 17), altero notandum, plures vultures Promethei iecur comedentes fingi a Propertio, qua in re socios habet Vergilium ecl. VI 42 „Caucaseasque refert volucres furtumque Promethei," Ovidium Ib. 289 „Utque operum mitis, sed non impune Prometheus Aerias volucres sanguine fixus alas," Senecam Herc. fur. 1216 „volucresque pascens Caucasi abruptum latus," nec non picturas parietum Pompeianorum (vid. Helbig: die Wandgemälde der untergegangenen Städte Campaniens No. 1128). Prometheum saxo adfixum describunt etiam Ap. Rhod. II 1249, III 852, Nonn. Dion. II 299, Catull. c. 64,294, Ov. am. II 16,40, Martial. lib. spect. 7,1, Sil. Ital. XIII 609 al.

Consimili ratione atque Promethei fabula Propertius utitur magna illa terrae inundatione, qua homines praeter Deucalionem et Pyrrham omnes periisse ferebantur, III 30, 52

Hic mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem.
At post antiqui Deucalionis aquas
Dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?[4]

Cui adstipulantur Statius Theb. XI 469 „Quam bene post Pyrrham tellus pontusque vacabant!" sqq. et Iuvenalis sat. I 80 „Ex quo Deucalion nimbis tollentibus aequor Navigio montem ascendit sortesque poposcit — Et maribus nudas ostendit Pyrrha puellas, Quidquid agunt homines, votum timor ira voluptas Gaudia discursus nostri farrago libelli est. Et quando uberior vitiorum copia?" De re ipsa cf. ex poetis Propertio aequalibus Verg. georg. I 61. ecl. VI 41. Ov. metam.

---

[1] Duas ad hunc locum coniecturas proposuit Baehrensius, legendum esse aut „mentem non indidit ante" aut „mendum non vidit in arte". At enim mihi neque in voc. „mentem", neque in „in arte" mendum videtur subesse, cum alterum sit oppositum corpori, alterum defendatur collatis Prop. II 3,42 et Stat. Theb. XI 468. Nempe „ars" h. l. idem valet atque artificium.

[2] Cf. Apollod. I 7,1. Lucian. Prom. 3. Anth. Pal. XVI 253. Hyg. fab. 142 p. 23 Schm Ov. met. I 82. Stat. Theb. VIII 305. Juvenal. IV 133. Phaedr. fab. VI 4. Claudian. in IV cons. Hon. 227 al.

[3] De „Prometheis iugis" (Prop. I 12,10) cf. Ov. a. a. III 195 „Caucaseas doceo de rupe puellas" et Apoll. Rhod. III 845.

[4] Ita interpungendum esse recte suasit J. Vahlenus.

I 244 sqq. VII 354 sq., cum verbis possis comparare Ov. fast. IV 793 „sunt qui Phaethonta referri Credant et nimias Deucalionis aquas," metam. VII 356 „Deucalionis — undas", Lucil. Anthol. Pal. XI 131 „*οὔτ' ἐπὶ Δευκαλίωνος ὕδωρ.*"

Iam ipsorum deorum fabulae ad vitae communis similitudinem traductae et in humilius transformatae cum poetis elegiacis plenissimam atque uberrimam materiem praebuerint, ante omnes Iuppiter is est deus, qui ubique amantibus facem praetulisse perhibetur et quem illi frequentissime cum suis ignibus componunt. Aut enim puellam suam Iove dignam esse affirmant (Prop. I 13,29. II 2,3. 3,30. Ov. am. I 10,7. Anth. Pal. V 257. XII 20), aut ne Iovem quidem a puella amata se depulsurum contendunt (Prop. II 7,3. III 4,16. 22.42. 32,18) aut Iovis auxilium pro puellis suis implorant (Prop. III 24,1. 25,44), aut nihil auxilii quod precantibus sibi tulerit queruntur (Prop. IV 24,20. Ov. am. II 1,18 cf. Lucian. deor. conc. 7).[1] Amores autem Iovis et in universum tangunt atque perstringunt, velut Propertius IV 11,28 „Iuppiter infamat seque suamque domum," II 2,4. Ov. am. III 12,33. a. a. I 713. met. V 606. Anth. Pal. V 125. Anth. Lat. 4,9 R., et singulos colligunt (Prop. III 28,27. Ov. am. III 12,33. a. a. III 251. metam. VI 103. Lucil. Aetna v. 87. Nonn. VII 117 sqq. Anth. Pal. V 275 al.[2]

Earum, quas Iuppiter amaverat, puellarum inde ab Alexandrinorum poetarum aetate celeberrima fuit Io,[3] a Iove compressa, Iunonis ira in iuvencam mutata, tandem in Aegypto Isidis nomine divinum honorem nacta. Est autem fabulae forma, qualis quidem ab his poetis traditur, haec: Io, Inachi filia (Prop. III 31,4. Ov. met. I 583. 610 al.), a Iove occulte amata (Prop. III 31,7 „Iovis occultis in amoribus," Ov. met. I 593 „Quod si sola times latebras intrare ferarum, Praeside tuta deo nemorum secreta subibis," 599 „Cum deus inducta latas caligine terras occuluit") propter Iunonis iram in iuvencae speciem convertitur (Prop. III 24,17 „Io versa caput," III 31,9 „Cum te iussit habere puellam cornua Iuno," IV 22,35 „Cornua nec valuit curvare in paelice Iuno,"[4] Ov. met. I 610 „inque nitentem Inachidos vultus mutaverat ille iuvencam," am. II 19,29 „mutatam cornibus Io," am. II 3,21 „exterrita cornibus Io," epist. XIV 89 „Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis, Cornuaque in patriis non sua vidit aquis — territaque est forma, territa voce sua," a. a. I 324, Nonn. III 266 „*ταυροφυὴς ὅτε πόρτις ἀμειβομένοιο προσώπου*"). Ei Iuno custodem adposuit Argum centum oculis instructum (Ov. met. I 695. Nonn. III 268. Ov. am. II 19,21. II 2,45), qui intentis oculis constanter eam adspexit (Prop. I 3,19 „Sed sic intentis haerebam fixus ocellis, Argus ut ignotis cornibus Inachidos," Paul. Silent. Anth. Pal. V 262 „*ἱσταμένης δ' ἄγχιστα τεθήπαμεν ὄμμα γεραιῆς, οἷα πολύγληνον βουκόλον Ἰναχίης*," unde Constant. Man. II 85 „*καὶ πάντοθεν ἑφέπεται τὸν δυσσεβῆ διῶκον ὡς Ἄργος ὁ πολύγληνος τὴν Ἰναχείαν κόρην*," Stat. Theb. VI 276. „Io post tergum iam prona dolorque parentis Spectat inocciduis stellatum cornibus Argum") et mugientem

[1] Contra sententiam apud hos poetas frequentissimam, non curari a Iove amantium periuria, nec puniri fidem laesam (cf. e. g. Ov. am. III 3,35. a. a. I 633. Tib. I 4,22. Callim. epigr. 27. Anthol. Pal. V 168 al. Uberius de hac re disseruit F. Mallet Quaest. Prop. p. 19 sqq.) aperte pugnat Propertius III 16,47 sqq.

[2] Cf. E. Rohde d. griech. Roman. p. 107 not.

[3] De Io, cum Iside, Aegyptiorum dea, confusa vid. Plew: Annal. phil. 1870 p. 665 sqq.

[4] Mutationis rationem qualem Propertius cogitaverit, in dubio sunt interpretes, cum alii puellam totam vaccae specie circumdatam velint, alii, in quibus est Hertzbergius, caput tantum bovinum Propertii verbis significari existiment. Sed qui Propertii ceterorumque poetarum locos, quos supra laudavi, contemplatus erit, in priorem sententiam accedere non dubitabit, eoque minus, quod Propertius etiam in veris bovibus cornua et vultum premit (cf. IV 18,12 de Pasiphaes vacca „cornua falsa bovis" et IV 14,38 „sub trucis ora bovis.") Certe caput bovinum Propertio non in mente fuit, etsi ut caput tantum sive vultum conversum commemorarent poetae et cornua capiti addita, tabularum, quae ubique habebantur et in quibus capiti Ius humano cornua adpicta erant, memoria facile factum esse potest.

(Prop. III 31,10 „Et pecoris duro perdere verba sono," III 24,17 „primos mugiverat annos," Ov. met. I 637 „Conatoque queri mugitus edidit ore, Territaque est forma, territa voce sua," ep. XIV 86 „At satis est poenae teneram mugisse puellam") pavit et indigno stabulo clausit (Prop. III 31,11 „A! quotiens quernis laesisti frondibus ora! Mansisti[1] stabulis abdita pasta tuis," Ov. met. I 630 „Luce sinit pasci, cum sol tellure sub alta est, Claudit et indigno circumdat vincula collo. Frondibus arboreis et amara pascitur herba," Calvi fr. 9 ab Ovidio expressum „a virgo infelix, herbis pasceris amaris,"[2] Nonn. II 267 „*εἰς ἀγέλην ἄγραυλον ἐλαύνετο σύννομος Ἰώ*," 271 „*καὶ εἰς νόμον ἦιε κούρη ὀφθαλμοὺς τρομέουσα πολυγλήνοιο νομῆος*, Ov. ep. XIV 26 „fronde leves nimiam caespitibusque famem," metam. I 665 „Ereptamque patri diversa per pascua natam abstrahit," Valer. Flacc. Arg. IV 345 sqq. v. 372. „Heu quotiens saxo posuit latus, aut ubi longa Aegra siti, quos ore lacus, quae pabula carpsit!", Nonn. I 341 „*ὤφελον ἀγρύπνουσιν ὅλον δέμας ὄμμασι λάμπων Ἄργος ἔτι ζώειν, ἵνα δύσβατον εἰς νόμον ἔλκων πλευρὰ Διὸς πλήξειε καλαύροπι βουκόλος Ἥρης*," Stat. Silv. II 2,101 „Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris"). Argus postquam a Mercurio consopitus et necatus est, Iuno furorem immisit Ioni totumque per orbem terrarum eam vagari iussit (Prop. III 31,8 „Sensisti multas quid sit inire vias," Ov. metam. I 727 „et perfugam per totum terruit orbem," ep. XIV 101 „per mare, per terras cognataque flumina curris," trist. II 297, Nonn. VIII 142 „*ὑγροβαφὴς δὲ οἰστρηθεῖσα μύοπι κερασφόρος ἔπλεεν Ἰώ*"). Tandem in Aegypto formam priorem ei restituit Iuppiter (Prop. III 31,13 „An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram Iuppiter, idcirco facta superba dea es?", Ov. met. I 738 „vultus capit illa priores, fitque quod ante fuit," ep. XIV 107 „exuit insanae pelicis ora bovis," Nonn. III 279 *ἦλυθεν εἰς Αἴγυπτον, ὅπῃ βοὴν μετὰ μορφὴν δαιμονίης ἴνδαλμα μεταλλάξασα κεραίης . . . .*) et divino honore ornavit (Prop. III 24,18 „nunc dea, quae Nili flumina vacca bibit," III 26,15 „Redde etiam excubias divae nunc, ante iuvencae," Ov. met. I 747 „Nunc dea linigera colitur celeberrima turba," fast. V 620 = epist. XIV 86 „quae bos ex homine est, ex bove facta dea," Stat. Theb. VI 27 „Ast illam melior Phariis erexerat arvis Iuppiter," Silv. III 2,101 „Isi, Phoroneis quondam stabulata sub antris, nunc regina Phari.").

In tanta cum totius narrationis tum minutarum etiam rerum similitudine quin omnibus nobile aliquod exemplar propositum fuerit, dubitari me quidem iudice omnino non licet. Circumspicientibus igitur nobis unum sese offert Callimachi carmen, cui inscriptum erat *Ἰοῦς ἄφιξις* (de quo vide quid disputaverit O. Schneider Callim. II p. 33 sqq.), atque hoc ipsum carmen posterioribus poetis longam imitandi materiam praebuisse mihi veri simillimum videtur esse. Nam quem potius Propertius, Ovidius, Nonnus, Callimachi omnes sectatores, aemulandum sibi sumpsisse putandi sunt, quam ipsum illum magistrum? Etenim ea, quae Io, priusquam in Aegyptum adveniret, passa erat, certe multo meliore iure huic Callimachi carmini vindicamus, quam quae O. Schneider fragmentis quibusdam incertae sedis obsecutus argumentum eius fuisse sibi persuasit.

Iam, ut Iovis amores enarrare pergam, Danaen inclusam bis commemorat Propertius: III 13,30

Sint mea vel Danaes condita membra domo,
In te ego . . . .
Ferratam Danaes transiliamque domum,

---

[1] „Mandisti" ingeniose coniecit Rossbergius (Lucubr. Prop. p. 22) quam coniecturam probavit A. Palmer voce „abdita" mutata in „arbuta". Sed non deest obiectum, modo voc. „pasta" neutrum numeri pluralis habeatur. Quamquam adhuc valde dubito, num necessaria sit haec mutatio, cum mandere non idem valeat atque ruminare et iacere in stabulo indigno per se satis sit poenae.

[2] Huc non sine probabilitate quadam Th. Birt (Mus. Rhen. XXXII p. 409 not.) refert frgm. anon. 57 (O. Schn.) *καὶ ἄγλαα πίσεα γαίης βόσκει.*

et III 30,59

Nec minus aerato Danae circumdata muro
Non potuit magno casta negare Iovi,

in eo tantum singulari paullum usus sermone, quod ferrata domo inclusam vel aerato muro circundatam facit Danaen, cum ceteri thalamum dicant, vel turrim (velut Hor. c. III 16,1. Ov. am. III 4,21. II 19,27. a. a. III 415). Neque praetermittendum est, ab ea fabulae adhibendae ratione abstinuisse poetam, quae post Alexandrinos unice fere regnavit, cum non tam ab ipso Iove quam auro corruptam esse puellam dicerent (cf. Hor. c. III 16,1, quem imitatur Ov. am. III 8,29. Ov. met. V 11. XI 117. Mart. epigr. XIV 175. Anth. lat. 21,200 R. Anth. Pal. V 31,33. 34), et quam etiam ii tenent, qui verbis simillimi sunt Propertii Asclepiades Anth. Pal. V 6,4, 6 „ἕλκει γάρ μ' ὁ κρατῶν καὶ σοῦ θεὸς, ᾧ ποτε πεισθεὶς, Ζεῦ, διὰ χαλκείων χρυσὸς ἔδυς θαλάμων“ et Paulus Silentiarius Anth. Pal. V 217 „χρυσέος ἀψαύστοιο διέτμαγεν ὄμμα κορείας Ζεῦς, διαδὺς Δανάας χαλκελάτους θαλάμους. Φαμὶ λέγειν τὸν μῦθον ἐγὼ τάδε· χαλκέα νικᾷ τείχεα καὶ δεσμοὺς χρυσὸς ὁ παγδαμάτωρ,“ quem ex ipso Propertio potius quam ex communi fonte Alexandrino hausisse sine causa creditum est. Ceterum murus est etiam apud Hyginum fab. 63 p. 61 Schm.

Alexandrinum aperte prae se ferunt colorem, quae de Alcmenae duabus noctibus narrat Propertius III 15,25

Iuppiter Alcmenae geminas requiererat Arctos
Et caelum noctu bis sine rege fuit,
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit:
Nullus amor vires eripit ipse suas,

adstipulante Ovidio am. I 13,45 „Ipse deum genitor, ne te tam saepe videret, Commisit noctes in sua vota duas,“ quocum utique conferendi sunt Meleager Anth. Pal. V 172 et Lucianus dial. deor. 10. Unum tamen constans intercedere videtur discrimen inter scriptores Graecos et Romanos, quod illi Iovem tres noctes apud Alcmenam permansisse perhibent (ita Pherecydes in schol. Hom. Il. XIV 323. Apollod. II 4,8. Diod. IV 9,2. Lucian. dial. deor. 10. Anth. Pal. XVI 102. Achill. Tat. p. 86,7. Herch. Nonn. XXXI 163. XXV 243. VII 121. Tzetz. ad Lycophr. 33 al.). hi duas noctes congeminatas volunt[1] (cf. praeter locos laudatos Hyg. fab. 29 p. 63 Schm. Ov. ep. IX 9. trist. II 402. Seneca Agam. 853. Herc. fur. 24. Herc. Oet. 147. Stat. Theb. IX 424). Statius tamen Theb. XII 301 „Ter noctem Herculeam.“

Callimacho (cf. Callim. fr. 385 cum adnot. O. Schneideri) debere potest Propertius Callistus historiam III 24,23

Callisto Arcadios erraverat ursa per agros
Haec nocturna suo sidere vela regit.

Ovidius fast. II 153 sqq. et metam. II 401 sqq. (unde cum Propertio possis comparare v. 490 „ante domum quondamque suis erravit in agris“) a Callimacho discrepat (cf. etiam Ov. am. III 12,31). In universum rarior est fabula apud hos poetas.

Nomine tantum tangit Propertius Europam (III 26,6), Ledam (I 13,29 „Nec mirum

[1] Scilicet diem intermissum, quo sol non oriebatur, Graeci in noctibus numerabant. Cf. etiam Winter: Alkmene und Amphitryon. Vratisl. 1876 p. 36.

cum sit Iove dignae proxima Ledae et Ledae partu gratior, una tribus“ [1]), pluribus Semelen [2] III 24, 27

Narrabis Semelae, quo sit formosa periclo
Credet et illa, suo docta puella malo,

et III 28, 29

Ut Semela est combustus,

cuius historiam Propertius et aliunde novit et ex Callimacho, qui peculiare de ea conscripsit carmen (cf. O. Schneider Callim. II p. 112 sq.[3]), unde fortasse hausit Ovidius metam. III 253 sqq. Cf. etiam Ov. am. III 3, 67. trist. IV 3, 67. Verg. catal. XI 33.

Finem faciam Iovis amorum a Ganymede, cuius rapinam inde ab Homeri aetate pro saeculorum moribus varie excoluerunt poetae atque immutaverunt. Namque antiquissima fabulae forma, a diis propter pulchritudinem raptum esse Ganymeden (Hom. Il. XX 233 cf. Apollod. II 114) mox ita inversa est, ut ab ipso Iove abreptus esse diceretur (Theogn. 1345. Ibycus in schol. Ap. Rhod. III 138). Recentiore deinde aetate aquilam Iovis inducunt rapientem (Theocr. id. XV 124. Eratosth. p. 259 West. Apollod. III 12, 2. Verg. Aen. V 252. Hor. c. IV 4,1. German. Arat. 315. Priap. 3, 5. Eleg. in Maecenatem 87. Hyg. Astron. II 16. Anth. Pal. IX 77. 407 al.). Denique etiam eo procedunt poetae Alexandrini, ludibundi et formarum mutatarum studiosi, ut ab ipso Iove in aquilam converso eum ablatum esse fabulentur (cf. Ov. am. I 10, 7. fast. VI 43. metam. X 155 sqq. Lucian. dial. deor. 4. 20, 6. Nonn. XI 134. Anth. Pal. V 65. XII 65 sqq. Achill. Tat. p. 85, 13 Herch.). Atque hanc recentissimam fabulae formam etiam Propertio obversatam esse, cum diceret III 28, 30

Denique ut ad Troiae tecta volarit avis

cum Ovidii, Nonni, Luciani analogia, tum orationis forma, quae est hoc loco, suadere recte perspexit Hertzbergius. In Propertii comparationem vocetur Stat. Theb. I 548 „Gargara residunt surgenti et Troia recedit“ et Anthol. Pal. V 65 „*Αἰετὸς ὁ Ζεῦς ἦλθεν ἐπ' ἀντίθεον Γανυμήδην.*“

Apollinis, quem poetae Alexandrini haud fere minus amori deditum fingebant quam Iovem, unam habet Propertius fabulam amatoriam, Marpessam abreptam, Admeti, Hyacinthi, Daphnidis amores, ut nimis idyllici,[4] non adeo ei videntur placuisse. Sed parem gloriam etiam in poesi elegiaca obtinuit Apollo Delum insulam stabiliens et Pythona draconem occidens. Ac priorem quidem rem tangit Propertius V 6, 27

Cum Phoebus linquens stantem se vindice Delon
(Nam tulit iratos mobilis una Notos)
Astitit Augusti puppim super

---

[1] Filias esse Phoeben, Clytaemestram, Helenam coll. Eurip. Iphig. Aul. 49 et Ov. ep. VIII 77, 19 evicit M. Haupt opusc. II p 104.

[2] De Semela vid. Helbig: Untersuchungen über die campan. Wandmalerei p. 224 sqq.

[3] Revocandum puto ad Callimachi Semelen fr. 511 *χρήιον εἶδος ἔχουσα*, quod Naekius (Hekale p. 116) de Hecale intellegebat, Rauch (die Aitia des Callim. p. 68) de Cerere coll. Ov. fast. IV 517, probabilius paullo O. Schneider (Callim. II p. 59) de Iunone Iasoni occurrente coll. Ap. Rhod. III 72. Mihi potius de Iunone videtur dictum, quae ad Semelen venit anus specie induta apud Ovidium met. III 274 („simulavit anum“). Quam coniecturam confirmare mihi videtur Nonnus Dion. VIII 180, ipsius Callimachi, nisi fallor, verba imitatus: *εἰς θάλαμον Σεμέλης ἀπατήλιος ἦλυθεν Ἥρη Ζήλῳ φυοιόωσα, μελιγλώσσῳ δὲ γεραιῇ Ἰσοφάνης φιλόπαιδι δέμας μορφοῦτο τιθήνῃ*, v. 188 *Τῇ δέμας ἶσον ἔχουσα διέστιχεν εἰς δόμον Ἥρης.*

[4] Cf. Zingerle: Ovid in s. Verhältnis zu s. Vorgängern u. Nachf. I p 72.

ubi ante omnia inquirendum est in versum alterum. Cum enim in optimae notae codicibus pro voce „una“, quae deterioribus debetur, legatur „unda“, primus Kraffertus (Philol. XXI p. 356) hanc lectionem defendere suscepit eique obsecutus est Baehrensius. Mihi vero, ut dicam quod sentio, minime persuasit Kraffertus recte legi „mobilis unda“, immo etiam contra codicum auctoritatem servandum censeo vulgatum illud „mobilis una“. Etenim cui „unda“ placet, is, sicut fecit Kraffertus, non de Delo insula versum intellegat necesse est, sed de mari, quod pugnae Actiacae tempore ventis laborabat. Quod si verum esset, Phoebus Apollo propter procellas, quae Augusti naves affligebant, auxilio adcurrisse putandus esset. At profecto ea non fuit causa, cur deus sedem suam relinqueret, ut ventos sedaret, sed ut animum Octaviani confirmaret et ipse pugnae interesset (cf. vv. sqq.). Praeterea nihil de ventis in hoc toto carmine invenies. Iam vero si versum ad Delum in mari errantem rettuleris, omnia bene se habebunt. Ventis enim circumactam esse insulam poetarum testimoniis ubique comprobatur, quorum maximi momenti est Callimachi hymn. in Delum v. 11: „κείνη γ' ἠνεμόεσσα κατάτροπος οἵα θ' ἁλίπληξ Λιθυίης καὶ μᾶλλον ἐπίδρομος ἤπερ ἵππος Πόντῳ ἐστήρικται,“ quem locum Propertio in memoria fuisse veri non dissimile mihi videtur. Adde Verg. Aen. III 77 „immotamque coli dedit et contemnere ventos,“ Senec. Agam. v. 383 „Tu maternam sistere Delon, Lucina, iubes, huc atque illuc prius errantem Cyclada ventis,“ Anth. Lat. I p. 460 R. „Delos iam stabili revincta terra Olim purpureo mari natabat, Et modo levis hinc et inde vento Ibat fluctibus inquieta summis,“ Antip. Anth. Pal. IX 408 „Λῦθε με παντοίοισιν ἔτι πλάζεσθαι ἀήταις ἠὲ Λητοῖ στῆναι μαῖαν ἀλωομένῃ“. Mobilem autem etiam Hyginus fab. 53 p. 59 Schm. insulam appellat, cum dicit: „Haec mobilis fuit.“ Denique vocem „una“ bene defendit Ovidius ex Pont. IV 14, 57 „Quam grata est igitur Latonae Delia tellus, Erranti tutum quae dedit una locum.“ Itaque hoc de quo loquimur versu causam habemus more Propertiano additam, cur Apollo Delum insulam stabiliverit.

Quae Propertius de eodem Apolline Pythona necante quasi praeteriens dicit V 6, 35

Aut qualis[1] *flexos solvit Pythona per orbes,*
Serpentem, imbelles quem timuere deae,

fortasse ex Callimacho hausit, qui non solum in hymno in Apollinem v. 100 sqq. et in hymno in Delum v. 90 sqq. (οὔπω μοι Πυθῶνι μέλει τριποδίσκος ἔδρη, Οὐδ' ἔτι πω τέθνηκεν ὅφις μέγας, ἀλλ' ἔτι κεῖνο θηρίον αἰνογένειον ἀπὸ Πλειστοῖο παρέρπον Παρνησὸν νιφόεντα περιστέφει ἐννέα κύκλοις), sed etiam in aetiis, ubi de Pythiis ab Apolline institutis agebat, latius, ut videtur, rem narraverat (cf. O. Schneider Callim. II p. 87. fr. 414[b] 364). Neque improbabile mihi videtur, hanc Callimachi narrationem etiam ab Ovidio in usum vocatam esse metam. I 438 sqq., eam ipsam ob causam, quod hic quoque sacros Pythiorum ludos ab ipso deo institutos esse refert (cf. etiam Hyg. fab. 140 p. 17 Schm.). Sed ut ad Propertium revertar, flexos serpentis orbes ab hoc poeta non ornamenti causa additos esse, et ex Callimachi verbis apparet, et ex Statii Theb. I 562 „Postquam caerulei sinuosa volumina monstri Terrigenam Pythona deus septem orbibus atris Amplexum Delphos“ e. q. s. et ex Claudiani c. VIII 257 „Caereleus tali prostratus Apolline Python Implicuit[2] fractis moritura volumina silvis.

---

[1] Rossbergii coniectura, scribendum esse „quali“ (sc. vultu e versu antec.), facillima illa quidem est et blanda, sed vix necessaria videtur. In versu sequenti corruptam codicum scripturam „lyrae“, quod vocabulum prave repetitum est e versu 32, cum editore Etonensi in „deae“ mutare non dubitavi. Luc. Mueller cum scriberet „imbelles quom tacuere lyrae“, sententiam plane supervacuam inculcavit. Deae autem nimirum sunt Musae. Simile est, quod Ovidius dicit metam. I 4, 39 „populisque novis, incognite serpens, Terror eras.“

[2] Cf. etiam Hom. hymn. in Apoll. 359 κεῖτο μεγασθμαίνουσα κυλινδομένη κατὰ χῶρον, v. 181 ἡ δὲ καθ' ὕλην πύκνα μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλίσσετο, λεῖπε δὲ θῦμον. Ov. met. I 440 „tantum spatii de monte tenebas.“

Fabulam, quae est de Marpessa, Eueni fluminis filia, ab Apolline rapta et de Ida deum oppugnante (vid. Preller Griech. Mythol. I [3] p. 219. O. Jahn Archäol. Aufs. p. 46) hisce breviter comprehendit Propertius I 2, 17

Non Idae et cupido quondam discordia Phoebo
Eueni patriis filia littoribus.

Qui unde sumpserit, nescio, nam apud poetas Alexandrinos vel Propertio aequales vestigium nullum huius fabulae repperi. Antiquiores post Homerum (Il. IX 553 sqq.) explicaverunt Bacchylides (fr. 96. 216 Bgk.) et Simonides, unde narrant Apollod. I 7, 8 et schol. Hom. Il. IX 553.

Liceat hoc loco inserere Niobes fatum, quoniam cum rebus ab Apolline gestis artissime cohaeret, etiamsi nec Propertius, neque alii, qui in transcursu mentionem eius faciunt, nomen dei addere solent. Quam quidem Propertius non solum in descriptione valvae templi Apollinei ab Augusto exstructi commemorat III 29, 14

Altera maerebat funera Tantalidos,

sed etiam III 13, 7

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimans defluit a Sipylo,[1]

et IV. 9, 8

Et Niobae lacrimas supprimet ipse lapis.

Etiam aliis poetis multis Niobes lacrimae ac luctus occasionem praebebant affectuum exprimendorum (cf. e. g. Mosch. id. IV 84. Ov. trist. V 1, 57. V 12, 8, ex Pont. I 2, 31. ep. XX 105. Locos collegit Stark: Niobe und die Niobiden p. 34 sqq.) Ipsius vero Propertii alterum locum fluxisse ex Callimachi hymni in Apoll. v. 21

Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος
ὅστις ἐνὶ Φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται

pridem perspexit Ruhnkenius, in priore locum simillimum Quint. Smyrn. I 293 *ὑπαὶ Σιπύλῳ νιφόεντι θεοὶ Νιόβην λᾶαν θέσαν, ἧς ἔτι δάκρυ Πουλὺ μάλα στυφελῆς καταλείβεται ἴψοθε πέτρης* interpretes fugisse valde miror, is enim multo magis cum Propertio conspirat, quam, quos vulgo citant Hom. Il. XXIV 614 et Sophocl. Antig. 825. In numero liberorum Propertius cum Statio Theb. VI 125 Homerum sequitur (Il. XXIV 602 sqq.), id quod ex poetis Alexandrinis unum fecisse compertum habemus Euphoriona (cf. Meineke: Anal. Alex. p. 146 et Stark l. l. p. 56). Ceteri enim, quantum scimus, omnes secundum tragicos quatuordecim fuisse perhibebant. Denique non praetermittendum est, quod primus animadvertit Stark. l. l. p. 87 et 370 sollemnem fere apud antiquos esse coniunctionem et necessitatem inter Nioben ac Procnen, quam praeter Propertium habent Sophocl. Electr. 150. Anacreont. 22. Nonn. XII 75. Anth. Gr. II 358. Nicet Eug. II 327. V 114. Ov. am. III 12, 31. trist. V 1, 57.

Notissimum est Apollinis cum Marsya satyro certamen et tibia a Minerva inventa atque abiecta (vid. Hyg. fab. 165 p. 19 Schm.). Ac tibiam quidem abiectam et Propertius commemorat III 28, 16

[1] Sic dedi cum Baehrensio, codd. vestigia secutus, in quibus „lacrimans" aut habetur, aut ut in Neapol. latet. Active autem poni posse defluendi verbum exemplis illustravit C. Lachmannus ad h. l.

Hic locus est, in quo, tibia docta, sones,
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor,

et Ovidius a. am. III 507 „I procul hinc, dixit, non es mihi tibia tanti, Ut vidit voltus Pallas in amne suos," fast. VI 697 „Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis, Vidi virgineas intumuisse genas. Ars mihi non tanti est, valeas, mea tibia, dixi, Excipit abiectam caespite ripa suo," metam. VI 385 „Quid me mihi detrahis? inquit: A, piget, a! non est, clamabat, tibia tanti", et Antip. Thessal. Anthol. Pal. IX 517 „*οὔ κεν Ἀθήνη ἔρριψεν λωτοὺς τοῖα μελιζομένη*" Propertii certum auctorem ut indagemus eo minus potest contingere, quod ne Ovidius quidem quo usus sit fonte constat. Sed cum antiquiores Graeci, imprimis Attici, dramatis satyricis fabulam tractare soliti sint (vid. Preller Griech. Mythol. I [3] q. 606 et Michaelis: Apoll und Mersyas), apud Romanos autem ludibrii nullum sit vestigium, etiam hic Alexandrinos poetas intercessisse patet.

Etiam Neptunus multas puellas amavit (cf. Prop. III 22, 26 „Neptunus fratri par in amore Iovi"), ex quibus clarissimae sunt Tyro et Amymone. Ac Tyrus historiam hisce peragit Homerus Od. XI 235

Ἐνθ' ἦτοι πρώτην Τυρὼ ἴδον εὐπατέρειαν,
Ἣ φάτο Σαλμωνῆος ἀμύμονος ἔκγονος εἶναι,
Φῆ δὲ Κρηθῆος γυνὴ ἔμμεναι Αἰολίδαο,
Ἣ ποταμῷ ἠράσσατ' Ἐνίπῃος θείοιο
Ὃς πουλὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησιν,
Τῷ δ' ἄρ' ἐεισάμενος γαιήοχος ἐννόσιγαιος
Ἐν προχοῇς ποτάμοιο παρελέξατο δινήεντος,
Ποφφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρει ἴσον
Κυρτωθέν, κρύψεν δὲ θεὸν θνητήν τε γυναῖκα,

ex quibus Lucianus confecit dialogum deorum 13. Propertius autem num Homeri memor fuerit dubito, nam cum et I 13, 21

Non sic Haemonio Salmonida mixtus Enipeus
Taenarius facili pressit amore deus

et IV 18, 33

Testis Thessalio flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo

Tyrus insanum furorem et petulantiam notat, in eo Alexandrinum potius exemplar mihi videor odorari.[1] Fortasse etiam candidae epitheton (Prop. III 26, 5) eo referendum est, quod Alexandrini a voce *τυρὸς* nomen eius derivare solebant (Diod. IV 10. schol. Hom. Od. XI 235). Qui praeterea rem tangunt (Ovidius ep. XVIII 132. metam. VI 116. Nonnus I 122 sqq. VIII 245. XLII 115 sqq.) Homerum sequuntur, cum non Tyrus ardorem, sed Neptuni dolum premant.[2]

---

[1] Cf. etiam Apollod. I 9, 8 *καὶ συνελῶς ἐπὶ τὰ τούτου ῥεῖθρα φοιτῶσα τούτοις ἀπωδύρετο.*

[2] Etiam Ovidius am III 6, 43 („Siccus ut amplecti Salmonida posset Enipeus, Cedere iussit aquam, iussa recessit aqua") in animo habuit Homeri verba *πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρει ἶσον.* Nimis enim contorta et ab hoc loco prorsus aliena est Ungeri (Parad. Theb. p. 369) interpretatio, qui siccum fuisse vult Enipeum i. e. durum et amoris sensu carentem.

Maior est discrepantia auctorum de Neptuni et Amymones amoribus, quos sic narrat Propertius III 22, 27

Testis Amymone latices cum ferret in arvis
Compressa, et Lernae pulsa tridente palus.
Nam[1] *deus amplexu votum persolvit: at illi*
Aurea divinas urna profudit aquas.

Neptunus igitur, si Propertium audimus, Amymonae aquam querenti et dei auxilium implorant sese fontes daturum pollicitus est, si sui copiam fecisset. Quo impetrato quod voverat[2] deus persolvit et tridente paludem percutiens fontem elicuit. At si qui praeterea rem fusius tradunt (nomen tantum est apud Callimachum Lavacr. Pall. 48 et Apoll. Rhod. I 137), aut satyrum inducunt, quem Neptunus a puella auxilium suum implorante abegerit (Apollod. II 1, 4. Hyg. fab. 169 p. 31 Schm.), aut vi raptam faciunt Amymonen (Lucian. dial. deor. 6. Philostr. im. I 8). Denique Nonnus (XLII 407) in fontem eam conversam esse ait. Etiam Ovidius am. I 10, 5 („Qualis Amymone siccis erravit in agris,[3] cum premeret summi verticis urna comas") ad fabulam melius cognoscendam nihil confert. Tenendum igitur est, eam quae est apud Propertium fabulae narrationem alibi non repperiri atque incertum esse, unde fluxerit. Sed cum etiam in artis monumentis satyrus desit (cf. Overbeck Kunstmythologie III p. 377 et Anthol. Pal. II 61) Propertio tabulam quandam pictam animo obversatam esse facile neque improbabiliter aliquis coniecerit.

Mirum sane foret, nisi Veneris, Cupidinum matris, amores prae ceteris a poetis eroticis laudarentur et celebrarentur. Sed hic dum lepidissimam et ornatissimam aggredimur narrationem, iniquum tulit fatum, ut quaestionibus irretiremur difficillimis et molestissimis. Propertii enim verba, quibus Veneris amores persequitur, III 30, 33

Ipsa Venus fertur[4] *corrupta libidine Martis.*
Nec minus in caelo semper honesta fuit,
Quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse
Atque inter pecudes accubuisse deam.
Hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum
Silenique senes et pater ipse chori,
Cum quibus Idaeis legisti poma sub antris
Supposita excipiens Naica dona manu,

haec igitur verba adeo sunt obscura, ut alius fere aliter de iis senserit. Ac primum certum est, Paridis nomen, cuius cum Venere consuetudinem nullam agnoverunt antiqui, corruptam esse; ad verba sananda varia proposita sunt, velut „Phrygen pastorem," „Ida parens," „Quamquam Idaea parens", „palam", „suum pastorem", longe simplicissimum et aptissimum videtur Vahleni „prius". In alia autem omnia abiit Unger (Sinis p. 85—101), sed tamen ita tumultuose in

---

[1] Sic recte, ni fallor, emendavit Vahlenus scripturum traditam: Iam deus sqq.

[2] „Votum" Neptuni, non Amymones esse recte intellexit Lachmannus, sed quod „amplexu" aut ita accipiendum esse, cum amplexus esset, aut tertio casu, quomodo diis vota dicerentur solvi, haud dubie erravit. „Amplexu" enim ablativus est, quem dicimus, pretii.

[3] Hoc loco aperte defenditur, quam supra exhibui codicum scriptura „in arvis", cum vulgo legatur „in Argis".

[4] Sic recte cod. Neapolitanus, ceteri habent „quamvis" ex v 35.

totum locum grassatus, ut vix quemquam invenerit adstipulantem.[1] Ille enim non, ut vulgo existimant, Veneris et Anchisae amorem hic haberi sensebat, sed Paridis et Oenonae.[2] At mihi, quamvis v. 35 sq. de Oenone bene intellegi posse non negem coll. Ov. ep. V 13 „Saepe greges inter requievimus arbore tecti", tamen gravissimae causae tali explicationi videntur obstare. Nam cum dicit Ungerus, non dignum esse Propertii arte atque elegantia, si Venus Marti deo furtim, Anchisae homini palam accubuisse narretur, fugit virum doctissimum, nec Venerem clam cum Marte concubuisse dici, nec, si diceretur, offendendum esse. Nam plane diversus fingitur a poetis, maxime Romanis, Anchisae amor a Martis libidine, hoc ut sit adulterium, illud iustum matrimonium. Confirmant hanc sententiam Ovidius a. a. II 561 „Fabula narratur toto notissima caelo Mulciberis capti Marsque Venusque dolis Mars pater insano Veneris turbatus amore" sqq., metam. IV 169 sqq. (v. 170 „Primus adulterium Veneris cum Marte putatur hic vidisse deus"), trist. II 377 „Quis nisi Maeonides Venerem Martemque ligatos[3] Narrat in obsceno corpora prensa toro", Anthol. Pal. V 180. 238. IX 591. 606. Iam vero cum his comparentur, quaeso, quae de Anchisa dicant poetae, velut Homerus Il. II 820 „*Αἰνείας τὸν ὑπ' Ἀγχίσῃ τέκε δῖ' Ἀφροδίτη Ἴδης ἐν κνημοῖσι θεὰ βροτῷ εὐνηθεῖσα*" Hesiodus Theog. 1009 „*Αἰνείαν δ' ἄρ' ἔτικτεν ἐυστέφανος Κυθέρεια Ἀγχίσῃ ἥρωι μιγεῖσ' ἐρατῇ φιλότητι Ἴδης ἐν κορυφῇσι πολυπτύχου ὑληέσσης*", Theocr. id. I 105 „*οὐ λέγεται τὰν Κύπριν ὁ βουκόλος; ἔρπε ποτ' Ἴδαν, ἔρπε ποτ' Ἀγχίσην. τηνεῦ δρύες*", Ps. Theocr. XX 35 „*οὐκ ἔγνω δ' ὅτι Κύπρις ἐπ' ἀνέρι βούτᾳ καὶ Φρυγίοις ἐνόμευσεν ἐν ὤρεσιν*", Nonnus XV 210 „*εἴκελος Ἀγχίσῃ ῥοδοείδει, τοῦ ποτε Κύπρις ἀργεννὴν ἐνόμευεν ὀρεσσινόμων στίχα ταύρων*", Agathias Anth. Pal. VI 76 „*Σὸς πόσις Ἀγχίσης, τοῦ εἵνεκα πολλάκι, Κύπρι, τὸ πρὶν ἐς Ἰδαίην ἔτρεχες ἠιόνα*", Vergilius Aen. I 617 „Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?", Ovidius fast. IV 35 „Proximus Anchises, cum quo commune parentis Non dedignata est nomen habere Venus", epist. XV 201 „Phryx erat Anchises, volucrum cui mater amorum Gaudet in Idaeis concubuisse iugis". Ac ne id quidem, quod inter pecudes Venus accubuisse dicitur, quidquam habere offensionis, ex his, quos laudavi, locis luce clarius apparet.[4] Iam vero de Paride et Oenone aperte vetamur cogitare cum eo quod Paridis fabula Helenam abducentis proxime antecedit, tum versu 34 „Nec minus in caelo semper honesta fuit". Quid enim Oenonae cum caelo? Nec pluris valet gravissimum Ungeri argumentum, propter v. 41 „An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit: Cur haec tam dives?" necesse esse multa anteire stupra, non enim de fabulosis amoribus, quos modo commemoraverat, haec dicta sunt, sed de moribus Propertii aetate Romae mirum in modum corruptis. His igitur omnibus diligenter perpensis equidem

[1] Verba ita constituit:

Ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis.
Nec minus in caelo semper honesta fuit,
Quamvis Heptaporus pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes accubuisse deam.
Hoc et Hamadryadum peccavit turba sororum
Silenusque senex et pater ipse chori.
Num minus Idaeis lusisti poma sub antris
Supposita excipiens, Nai Cebreni, manu?

[2] Assentiri ei videtur E. Rohde Griech. Roman p. 110 not. 3. itemque A. Palmer, cum v. 35 pro „Quamvis Ida" scribi vult „Pegasida".

[3] Martem et Venerem Vulcani arte ligatos in memoriam revocat Propertius II 7, 25 „Atque utinam haerentes sic nos vincire catena Velles, ut numquam solveret ulla dies".

[4] Ad sententiam cf. Tibullus II 4, 30 „Felices olim, Veneri cum fertur aperte Servire aeternos non puduisse deos" et v. 71, nec non Prop IV 12, 33 sqq.

non dubito Propertii verba de Veneris et Anchisae amore interpretari. Invenisse autem putandus est poeta historiam apud poetam aliquem Alexandrinum, ut sensit iam M. Haupt (opusc. II p. 60 sqq.), fortasse Philetam, ex quo haurire potuit etiam Theocritus. Sed nondum ad finem res est perducta. Ingenue enim fateor, mihi quoque cum Ungero Hamadryades et Silenum et ipsum Bacchum inspectantem valde displicere, arridere admodum Ungeri coniecturam „peccavit", ab omnibus adhuc iniuria neglectam. Nam ut omittam, prorsus supervacaneum esse additamentum etiam a Propertii scribendi consuetudine abhorrens, in historia fabulari nullum usquam vestigium horum deorum in Anchisae fabula repperitur. At vero idem peccavisse Nymphas et Silenos egregie confirmatur hymno Homerico, quo eadem, de qua agimus, historia habetur, v, 257 sqq. „*Νύμφαι μὲν θρέφουσιν ὀρεσκῷοι βαθύκολποι, Οἳ τόδε ναιετάουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε .... Τῇσι τε Σειληνοὶ καὶ εὐσκοπος Ἀργειφόντης μίσγοντ' ἐν φιλότητι μυχῷ σπείων ἐροέντων.*[1] Confirmare videtur hanc sententiam etiam particula „et" v. 37, quae nova subiungere solet. In duobus vero ultimis versibus ad Venerem redit oratio, Venerem enim aliter iam atque Ungerus intellego sub Idaeo antro poma legentem et ludentem. Similiter enim, ut uno contentus sim argumento, apud Philostratum imag. I 6, 7 Venus pingitur cum Amoribus in antro colludens. Ceterum quod modo dixi Propertii narrationem desumptam videri ex Phileta, his versibus, ni fallor, satis clare confirmatur; mala enim Bacchi a Venere possessa prorsus sunt Philetaea (cf. fr. 15 B. et Theocr. id. II 120 „*δῶρα — τὰ οἵ ποτε Κύπρις ἑλοῦλα μῆλα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων*").[2] Iam ut breviter quid sentiam repetam, haec me quidem iudice dicit Propertius: Si unam alteramve noctem una lusimus, parva ea crimina duco. Nam etiam Helena, quae externo amore patriam mutavit, sine famae iactura domum est reducta. Ipsa Venus, quamvis Martis amore erat corrupta et quamvis in Ida monte cum Anchisa concubuisset, tamen in caelo semper fuit honorata. Idemque sine dedecore peccaverunt Nymphae et Silenī, quibuscum Venus illic collusit.

Clarissimus aetate Alexandrina et a poetis certatim cantatus Adonis fuit a Venere dilectus et ploratus. Exstant Theocriti et Bionis idyllia, Nicandrum (O. Schneider: Nicandrea p. 68 sq.) et Parthenium (fr. 37 Mein.) aliosque eius fata cecinisse compertum habemus, Alexandrinos deinde poetas expresserunt Laevius (fr. 14 Luc. Mueller) et Ovidius metam. X 503 sqq.[3] Poetae latini, ubi obiter Adonidis mentionem iniciunt, luctum maxime Veneris describere solent, ut praeter Propertium III 5, 37

Testis cui niveum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum iacuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu, Venus, isse coma,

Ovidius am. III 9, 15 „Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo, Quam iuveni rupit cum ferus inguen aper," a. a. I 75 „Veneri ploratus Adonis," 512 „cura deae silvis aptus Adonis erat," III 85 „Ut Veneri, quem luget adhuc,[4] donetur Adonis" (cf. etiam Theocr. id. III 45. Anth. Pal. V 113. VI 275. Ov. ep. IV 27). Propertii verba optime illustrant Ovidius metam. X 719 „Agnovit longe gemitus morientis et albas Flexit aves illuc, atque aethere vidit ab alto Exanimem inque suo iactantem sanguine corpus. Desiluit pariterque sinum pariterque capillos Rupit et in-

[1] Cf. Tib. (Lygd.) III 6, 57. Ov. ex Pont. IV 16, 35. Senec. Phaedr. 784. Anacr. 2. Soph. Oed. Tyr. 1009 al.

[2] „Naica dona" cum aliis corrupta esse censeo, cum neque adiectivum recte derivatum sit, nec poma recte dici possint Naidum dona. An legendum est „Naxia" i. e. Bacchica dona? Cf. IV 17, 28 „Naxia turba".

[3] Cf. Greve: de Adonide p. 20 sqq.

[4] Imitatur Grattius Cyneg. 66 „Flet adhuc et porro flebit Adonim"

dignis percussit pectora palmis," et maxime Bion id. I 17 „ἁ δ' Ἀφροδίτα λυσαμένα πλοκαμῖδας ἀνὰ δρυμὼς ἀλάληται· ὀξὺ δὲ κωκύουσα δι' ἄγκεα μακρὰ φορεῖται Ἀσσύριον βοόωσα πόσιν καὶ πολλὰ καλεῖσα," v. 7 „κεῖται[1] καλὸς Ἄδωνις ἐν ὤρεσι μηρὸν ὀδόντι, λευκὸν μηρὸν ὀδόντι τυπείς," qui quidem adeo cum Propertio conspirant, ut cum pauca quaedam singularia habeat Propertius (venantem[2] Idalio vertice facit), utique ab his unum poetam Alexandrinum (Philetam?) expressum esse statuendum sit.

Etiam ea quae de Myrrha, sive Smyrna, Adonidis matre, circumferebatur fabula, incesto eam amore in patrem suum incensam et gravidam factam deorum misericordia in arborem myrrham conversam esse, tota est Alexandrina.[3] Narrant cum alii, tum Apollod. III 14, 4. Anton. Lib. 34. Hyg. fab. 58 et 242. Ov. metam. X 298.[4] Propertius IV 18, 15 his tangit verbis

Crimen et illa fuit patria succensa senecta,
Arboris in frondes condita Myrrha novae,

cuius similis est Ovidius a. a. I 285 „Myrrha patrem, sed non qua filia debet, amavit, Et nunc obducto cortice pressa iacet" (cf. Ov. rem. am. 99. Ibis 358. Ciris 237) et metam. X 310 „tanti nova non fuit arbor."

Cum Venere Bacchus fere solet esse coniunctus, cuius res gestae etiam a poetis elegiacis celebrari par est. In hos enim non cadit, quod de epicis aetatis Alexandrinae poetis observavit E. Rohde (griech. Rom. p. 131 not. 3), raro eos ad hanc materiam tractandam accessisse. Ac Propertius quidem in ea elegia, quae tota in Bacchi laudibus versatur, IV 16 inde a. v. 21 sic facta eius percenset;

Dicam ego maternos Aetnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanumque nova nequiquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,

ad quem et sententia et rerum ordine proxime accedit Ovidius fast. III 713 „Tertia post Idus lux est celeberrima Baccho. Bacche, fave vati, dum tua facta cano. Nec referam Semelen, ad quam nisi fulmina secum Iuppiter adferret, parvus inermis eras .... Sithonos et Scythicos longum est enarrare triumphos et domitas gentes, turifer Inde, tuas. Tu quoque Thebanae mala praeda tacebere matris, Inque tuum furiis acte Lycurge genus. Ecce libet subitos pisces Tyrrhenaque monstra Dicere" et metam. IV 20 „Oriens tibi victus adusque Decolor

---

[1] Hoc et quem modo laudavi Ovidii loco satis aperte defendi videtur Propertianum illud „iacuisse", pro quo varia ac diversa coniecerunt viri docti. Structurae enim mutatio etsi dura est, tamen eo excusatur et, nisi fallor, indicatur, quod in altero enuntiati membro subiectum (tu, Venus) additur.

[2] Pastorem fingunt poetae idyllici (vid. Greve ll. p. 11.). Nolo praetermittere apud Propertium et reliquos auctores antiquiores ab apro occidi Adonidem; postea demum Mars in aprum conversus eum percussisse dicitur (Serv. ad Vergil. ecl. X 18 schol. Theocr. id. I 3 et 47. Eustath. ad Hom. Od. p. 1701. Nonn. XLI 209). Errat igitur Greve ll. p. 12 not. 2, cum hanc antiquam esse fabulam dicit.

[3] Cf. E. Rohde Griech. Roman p. 101 not. 1.

[4] Ovidius secutus videtur esse Helvii Cinnae epyllion, nam v. 503 „At male conceptus sub arbore creverat infans" in memoriam revocat Cinnae fr. 9 (Luc. Mueller): „at scelus incesto Zmurnae crescebat in alvo." Helvii auctorem Parthenium esse statuit Kiesslingius (Commentt. in honorem Th. Mommseni p. 351 sq.); de fabula cf. etiam Greve: de Adonide p. 7 sqq.

extremo qua tinguitur India Gange, Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum, Sacrilegos mactas, Tyrrhenaque mittis in aequor Corpora.“ Et ordo quidem rerum, quem eundem servat Apollodorus III 4, 3 sqq., cum is sit in universum, quo in itinere Bacchi ab Indis victis ad Naxum insulam res sese excepisse dicebantur, omnibus his locis certum consilium agnoscere non dubitabimus. Quamquam ad quem auctorem referendum sit, vix quisquam enucleabit, nam de Euphorionis carmine (de quo vid. Meineke: Anal. Alex. p. 21) num liceat cogitare, valde dubium est. Aliter tamen progrediuntur Statius Theb. IV 383 sqq. et Nonnus in Dionysiacis.

Iam ut ad singulas res gestas pauca quaedam addam, de Aetnaeis fulminibus haec leguntur apud Ovidium metam. III 303 „Nec quo centimanum deiecerat igne Typhoea, Nunc armatur eo; nimium feritatis in illo est: Est aliud levius fulmen, cui dextra Cyclopum Saevitiae flammaeque minus, minus addidit irae, Tela secunda vocant superi; capit illa domumque Intrat Agenoream.“ Unde effici videtur, fulmen a Propertio consulto dictum esse Aetnaeum.

Indorum victorum mentio frequentissima est apud poetas. Cf. e. g. Verg. Aen. VI 801. Ov. am. I 2, 47. a. a. I 189. fast. III 465. ex Pont. IV 8, 61. metam. XV 413. Stat. Theb. VII 180 al.

De Lycurgo bipennifero, qui Bacchum expulit et in furorem ab eo coniectus filium suum occidit cf. Ov. trist. V 3, 39. Hor. c. II 19, 16. Stat. Theb. VII 179. Anth. Pal. IX 79. 375. XVI 127. Antiquiores, velut Homerus Il. VI 130 sqq. et Sophocles Antig. 955, aliam habent poenam. Sed Propertii verba haud recte interpretatus est Michaelis (Annali dell' Instituto. 1872 p. 253), cum eam fabulae formam hic haberi censeret, qua vite correptus et implicitus esse Lycurgus dicebatur (Nonn. lib. XX et XXI. Stat. Theb. IV 386). Equidem cum Hertzbergio (Quaest Prop. II 6 p. 134) „vesanum nequiquam in vite Lycurgum“ intellego iratum frustra et furentem propter vitem novam atque ignotam.

Eorum, quae de Penthei nece et eo, quem modo attuli, loco et IV 22, 33 dicit Propertius:

Penthea non saevae venantur in arbore Bacchae

primarius fons Euripidis est tragoedia illa clarissima, ex qua cf. v. 680 „*ὁρῶ δὲ θιάσους τρεῖς γυναικείων χορῶν*“ et v. 1106 „*ἔλεξ' Ἀγαύη, φέρε περιστᾶσαν κύκλῳ πτορθοῦ λάβεσθε, μαινάδες, τὸν ἀμβάτην θῆρ' ὡς ἕλωμεν.*“[1] Eandemque tragoediam imitantur Theocritus. id. 26 (cf. v. 2 *τρεῖς θιάσους ἐς ὄρος ἄγαγον*) et Nonnus Dion. XLVI 145 sqq., et respiciunt Vergilius Aen. IV 469 (Eurip. v. 918) et Horatius sat. II 3, 303, epist. I 16, 75. — Hyginus fab. 179 p. 35 Schm., Philostratus imag. I 18, Ovidius metam. III 511 sqq., Statius Theb. IX 318 Penthea in collem, non in arborem ascendentem fingunt.

Tyrrheni nautae quomodo in delphinos conversi sint a Baccho, auctorem aliquem Alexandrinum secutus narrat Ovidius metam. III 68 sqq. quocum consentiunt Apollod. III 5, 3, Hyg. fab. 134, Anth. Pal. II 82, alii.

Restat Icarii fabula,[2] quam Propertius III 31, 29 his versibus tangit:

Icare, Cecropiis merito iugulate colonis,
Pampineus nosti quam sit amarus odor.

Tractavit fabulam Alexandrina aetate Eratosthenes „Erigona“, carmine distichis conscipto (Hiller: Eratosthen. carm. rell. p. 94 sqq.), quem utrum Propertius memoria tenuerit, an solitis auctoribus

[1] Cf. Ov. metam. III 714 „Ille aper, in nostris errat qui maximus agris, Ille mihi feriendus aper“.

[2] De qua cf. etiam Apollod. III 14, 7. Hyg. fab. 130 p. 113 Schm. Astron. II 4. Nonn. XLVII 44—250 schol. Hom. Il. X 29. Icarium appellant Graeci, Icarum Latini.

rei notitiam debeat, etsi hoc magis est veri simile, iam certo discerni nequit. Alexandrinum exemplar expressit etiam Ovidius metam. VI 125 sqq. cf. etiam. Ov. Ib. 609: „Muneribusque tuis laetaris ut Icarus, in quem Intulit armatas ebria turba manus.“ Praeterea stellis illatum commemorat Icarum Propertius III 31, 24

Flectant Icarii sidera tarda boves,

et auctor panegyr. in Messallam v. 9 „et cunctis Baccho iucundior hospes Icarus, ut puro testantur sidera caelo, Erigoneque canisque, neget ne longior aetas“ et Ov. metam. X 446. 450.

Ea quae de Baccho et Ariadna Propertius habet, aptius inserentur rebus a Theseo gestis.

Initio el. 22 libri IV v. 4 cur Propertius a vulgari eademque Alexandrina narratione recedens Cyzici, non Hennae Properpinam a Dite raptam faciat, cum dicit

Raptorisque tulit qua ria Ditis equos,

causa in aperto est, amicus enim, ad quem missa est haec elegia, Cyzici tum commorabatur. Nam etiam Cyziceni apud se raptam esse deam gloriabantur (cf. Förster: der Raub und die Rückkehr der Persephone p. 9 not. 2 et p. 113), ut legimus etiam Priap. 76, 13 „Hennae Cererem nurus frequentant, Raptam Cyzicus ostreosa divam“.

Multo difficilior oritur quaestio de Brimo, Thessalorum sive Proserpina sive Hecate, quam cum Mercurio consuesse contra atque ceteri scriptores affirmare visus est Propertius II 2 11

Mercurio satis fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Ita enim plurimi editores Turnebi auctoritati obsecuti scripserunt, cum in codicibus omnibus non „Brimo“ habeatur, sed „primo“. Longius etiam cum Beroaldo progressi Lachmannus, Hertzbergius, Hauptius, Luc. Mueller, alii in versu priore pro corrupta voce „satis“ substituerunt „Sais“. At enim optimo iure C. Rossbergius (Lucubr. Prop. p. 10 sq.), id quod ante eum iam senserat Schneidewinus (Philol. I p. 384) prorsus incredibile esse monuit, deam illam Aegyptiacam, quam Properpinam fuisse ne constaret quidem, ex Aegypto ad lacum Thessaliae a Propertio esse translatam. Accedit, quod in voce „Sais“ prior syllaba non producta esse solet, quod versu flagitatur, sed correpta. Recte igitur idem Rossbergius ex Passeratii invento „sacris“ reponendum esse suadet. Iam vero, ut ad Thessalorum Proserpinam, quae Brimo appellabatur, veniamus, Propertius, si Turnebi scripturam sequimur, aperte dissentit a ceteris auctoribus, qui huius deae mentionem fecerunt. Hi enim omnes non concubuisse deam cum Mercurio, sed absterruisse cupidum narrant, unde etiam Brimus (a *βριμοῦσθαι*) nomen acceperit (cf. Cic. de nat. deor. III 22, 56. Arnob. IV 14. Serv. ad Verg. Aen. IV 577. Tzetz. ad Lycophr. 698. 1176. Tzetz. schol. Hom. p. 41. Etymol. Magn. s. v. *Βριμώ*. Hesych. s. v. *βρίμη*). Neque sufficit ad hanc Propertianam fabulae formam comprobandam, quod Tzetzes (ad Lycophr. 680) Mercurio ex Hecate tres filios natos esse dicit, aut quod Proserpina *Λάειρα* Cerycem ei peperisse ferebatur (cf. Preller Gr. Myth. I ³ p. 311 not. 1). Alienum autem est, quod de Iovis cum Cerere, quam eandem Brimo vocabant, consuetudine fabulabantur antiqui. Omnino rectissime Baehrensius (praef. ed. p. XIX): „quidquid“, inquit, „fabulae ab auctoribus recentibus prolatae de liberis e Mercurio cum Hecate procreatis narrant, Brimo tristis et severa erat dea, quam invitam et reluctantem stuprum passam esse constat. — absonum est autem cum furva illa dea conferri Cynthiam“. Atque hoc quidem profecto maximi momenti est, nam quae esset laus, puellam lepidam similem dici Proserpinae, in-

ferorum deae! Abiciamus igitur fabulam, invitis libris et repugnante rerum et sententiarum ordine Propertio inculcatam atque obtrusam! Rectam autem interpretandi viam nuper ingressi sunt, etsi in ipsis verbis constituendis minus felices, Baehrensius et A. Palmer. Qui illud „et", vel „ut", quod post „Mercurio" vulgo in editionibus contra libros additur („Mercurioque" in DV interpolatori deberi manifestum est) expungentes, non novam ab hoc de quo agimus disticho incipere fabulam, sed eam, quam poeta versibus antecedentibus de Hippodamia a Centauris rapta instituerat, continuari et ad finem perduci censuerunt, et cum Mercurius initio alterius distichi repugnare videretur, non cunctati alias ac plane diversas voces substituerunt, alter „Perithoo", alter „sera viro". Additque Baehrensius (l. l. p. XIX), Ischomachen i. e. Hippodamiam, cum exorto tumultu fugisset ad vicina Boebeidos fluenta, ibi cum Pirithoo pugna finita novam nuptam quaerente convenisse. Quod unde habeat, equidem nescio, ipse videat. Nos librorum scripturam tenendam et totum locum sic legendum esse existimamus:

Qualis et Ischomache, Lapithae genus, heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio sacris fertur Boebeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.

Quae explicare facillimum est, dummodo dativum „Mercurio" non tam a verbo „composuisse", quam ab adiectivo „sacris" pendere sciamus. Boebeida autem, Thessaliae lacum, Mercurio, Thessalorum deo et Pheraeo (de quo cf. Preller Griech. Mythol. I [3] p. 311 et Callim. fr. 117) dici sacrum nihil habet, in quo offendamus. Deinde componendi verbum dativum non desiderare, ipse testis est Propertius, cum dicit I 11, 13 „Quam vacet alterius blandos audire susurros Molliter in tacito littore compositam", ubi componi i. e. se componere idem valet atque hoc loco latus componere.[1] Hoc igitur, nisi me sententia fallit, Propertius dicit: Talis est mea Cynthia, qualis Hippodamia fuit, quae priusquam Pirithoo nuberet (hoc et in adiectivo „virgineum" et in adverbio „primo" inesse statuo) etiam virgo ad lacum Boebeida, Mercurio sacrum, fertur accubuisse. Iam vides, non certam aliquam fabulam huic loco subesse, quod omnes adhuc interpretes sibi persuaserunt, sed pulchritudinem tantum designari Hippodamiae in littore illius lacus iacentis, sicut antea Iunonis incedentis et Palladis ad aras Dulichias spatiantis[2]. Ceterum quod Propertius ad Boebeida accubantem facit, minime mirandum, cum Lapithas ad hunc ipsum lacum sedes habuisse inter omnes constet. De Hippodomiae rapina postea agam.

Lunae et Endymionis amorem celebratum esse constat aetate Alexandrina ab Euphorione (fr. 84 Mein.) et a Nicandro (O. Schneider: Nicandrea p. 35). Propertius his tangit III 7, 15

Nudus et Endymion Phoebi cepisse sororem
Dicitur et nudae[3] *concubuisse deae.*

Quibuscum si contuleris Ps. Theocr. id. XX 37[4] *Ἐνδυμίων δὲ τίς ἦν; οὐ βουκόλος; ὃν γε Σελάνα βουκολέοντα φίλασεν, ἀπ' Οὐλύμπου δὲ μολοῦσα λάθριον ἄν νάπος ἦλθε καὶ εἰς ἕνα παιδὶ*

[1] Simili modo usurpatur I 3, 3 accubandi verbum.

[2] Plane gemellus locus est I 3, 1 sqq.

[3] Hanc vocem a Baehrensio et aliis in suspicionem vocatam equidem verissimam puto, quippe in qua summa totius loci sententia vertatur.

[4] Cui fontem fuisse Theocr. id. III 29 non recte contendit Fritzschius.

κάθευδε“ Quint. Smyrn. X 127 „ἄτερον ὑπὸ ζάθεον καλλιπλοκάμων Νυμφάων, Ἧιχι ποτ' ἀθρήσασα κατήλυθε δῖα Σελήνη Οὐρανόθεν· δριμὺς γὰρ ἄγεν πάθος ἠιθέοιο,“ Nicet. Eug. VIII 115 „Ἐνδυμίων ἔφλεξε καὶ σὴν καρδίαν,“ Ov. ep. XVII 62 „Non sinit Endymion te pectoris esse severi, Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos. Tu, dea, mortalem caelo delapsa petebas“ habes fere, cur non sine exemplo haec omnia dicta esse credam, quamquam Callimachus in „coma Berenices“ (Catull. 66, 5 „Triviam furtim sub Latmia saxa relegans Dulcis amor gyro devocet aerio“) certe non fuit auctor. Idem tamen Callimachus, si fides habenda est Martiali epigr. X 4 etiam aetiis fabulam inseruit. Praeterea etiam tabulas pictas Propertii animo obversatas esse videri, exposui huius dissert. part. I p. 17. Erotico sensu fabulam adhibent etiam Ov. am. I 13, 43. a. a. III 83. trist. II 299. Anth. Pal. V 123. VI 58.

Quod in compluribus iam observavimus exemplis, pugnare Propertium cum opinione vulgari, idem in Tithoni et Aurorae historia, quam fusius narrat III 10, 7 sqq. eum facere videmus. Nam cum ab antiquissimis temporibus constans fuerit fama, Tithonum ob formae praestantiam ab Aurora raptum, postea cum consenuisset, neglectum esse (Hymn. Hom. in Venerem III 218 sqq. Ov. am. I 13, 35. ep. XV 199. fast. VI 473. Suidas s. v. καταγηράσας al.), Propertius fidem atque amorem Aurorae vel erga senem permansisse („Cui maiora senis Tithoni gaudia vivi, Quam gravis amisso Memnone[1] luctus erat“) multis persequitur. Cuius mutationis unum, quod sciam, leve vestigium restat apud auctorem elegiae in Maecenatem I 199 sqq.: „Pascitur Aurorae Tithonus nectare coniunx, Atque ita iam tremulo nulla senecta nocet. Illius aptus eras croceo recubare cubili, Et modo poeniceum rore lavante torum, Illius aptus eras roseas adiungere bigas Et dare purpurea lora regenda manu Et mulcere iubam, cum iam torsisset habenas, Procedente die, respicientis equi.“[2] Ad Alexandrinum aliquem poetam sese adplicare Propertium, mihi perspicuum videtur esse. Ceterum Tithoni senectutem in proverbii usum abiisse omnibus notum est. Atque ita Propertius III 25, 10 „Sive ego Tithonus, sive ego Nestor ero“, quocum cf. Priap. 57, 4. 77, 7. Ov. am. III 7, 41. Stat. silv. IV 3, 150. Hor. Od. II 16, 30. de Graecis cf. Leutsch: paroemiogr. Gr. I p. 166.

Inus furorem, quo Thebis fugata in mare desiluit et maritima dea facta est, narrant Ov. met. IV 416 sqq., fast. VI 473 sqq., Hyg. fab. 2 p. 38 Schm., Nonnus Dionys. X init. Laevii epyllion deperditum est. Propertius, qui uno disticho absolvit III 24, 19

Ino etiam prima terris aetate vagata est,[3]
Hanc miser implorat navita Leucothoen

ipsam rem fortasse sumpsit ex Callimacho (ubi de Isthmiis in Palaemonis honorem institutis egit. cf. O. Schneider: Callim. II p. 70), in orationis forma videtur secutus esse Homerum (Od. V 333) „τὸν δ' ἴδεν Κάδμου θυγάτηρ καλλίσφυρος Ἰνὼ Λευκοθέη, ἣ πρὶν μὲν ἔην βροτὸς αὐδήεσσα, Νῦν δ' ἁλὸς ἐν πελάγεσσι θεῶν ἐξέμμορε τιμῆς.“

---

[1] De Memnone cf. Ov. am. 13, 3. metam. XIII 578. Mosch. id. III 43. Quint. Smyrn. II 430 sqq. Senec. Troad. 248. Welcker: Ep. Cyclus p. 211. Cum Propertio comparetur Ov. metam. XIII 578 „luctusque domesticus angit Memnonis amissi.“

[2] Meram hanc esse imitationem loci Propertiani cum Baehrensio equidem non asseverem, etsi non pauca imitationis Propertianae vestigia in tota illa elegia deprehendi me non fugit. Multo certior mihi videtur imitatio Ovidii am. I 13, 38 „Illum dum refugis, quia grandior aevo, Surgis ad invisas a sene mane rotas. At si, quem malis, Cephalum complexa teneres, clamares: lente currite, noctis equi.“

[3] Codicum lectionem praefero Iacobi coniecturae „Thebis — fugata est,“ etiamsi fuga Inus saepius commemoratur, velut Ov. met. IV 521. Nonn. IX 247. Senec. Phoen. 24. At enim consulto terris vagatam esse dicit Propertius, quae postea maris dea facta sit.

De Polyphemi in Galateam amore post Philoxenum multi poetae et Alexandrini et posteriores egerunt (cf. Theocr. id. XI. Bion II 3. XII 2. Mosch. III 57. Hermesian. fr. 111. B. Lucian dial. mar. I. Verg. ecl. 9, 39. Ov. metam. XIII 73,8. vid. Helbig in Symbol. philol. Bonnens. p. 363 sqq. et Holland: Leipziger Studien vol. VII p. 139 sqq.) Qui cum omnes infelicem fingant Polyphemi amorem, primus Propertius non frustra eum amantem facit IV 1, 45

Quin etiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.

Sed quoniam non tantum cum picturis parietum Pompeianorum (ac certe tabulam aliquam a Propertio describi videri, monui part. I p. 16 sqq. idem animadvertit Holland ll. p. 276), consentiat, sed etiam cum Nonno (XL 553. XLIII 266. XIV 61 sqq. VI 302) et Niceta Eugeniano (VII 502 sqq.) sanequam probabilis est E. Rohdii coniectura (griech. Roman p. 77 not. 2), qui a Callimacho primo in „Galatea" (de qua cf. O. Schneider: Callim. II 163 sqq. et Holland ll. p. 246 sqq.) fabulam in hunc modum inversam esse suspicatur. Quamquam unum quod superest illius carminis fragmentum certam interpretationem non admittit.[1]

Fabulam quae est de Pane Pityn amante legi apud Propertium I 18, 19

Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus et Arcadio pinus amica deo

omnes adhuc interpretes unanimo consensu arbitrati sunt. Cui opinioni gravissimae obstant causae. Nam ut omittam, testimonia, quae sunt de hac fabula, omnia esse posterioris aetatis (Luc. dial. deor. 22, 5. Liban. IV 1188. Geopon. XI c. 19. Longin. Pastor. I 27. II 7. Nonn. II 108), nonne mirum sit, unius pini, non etiam fagi amorem aliquem commemorari? Iam vero et huius ipsius loci conexus et alii antiquorum poetarum multi, quos collegit C. Dilthey (Callimachi Cydippe p. 79 sqq.),[2] clamant non deorum, sed ipsarum inter se arborum amores esse intellegendos (e. g. cf. Claud. epith. 65 „omnisque vicissim felix arbor amat" ac maxime Nonn XII 122 „*καὶ πίτυς αἰάζουσα συνέμπορος ἥλικι πεύκῃ λεπταλέον ψιθύριζε*"). Itaque cum duo simul amores pini notari non queant, atque etiam ipsa orationis forma, quae est hypothetica, certum amorem sumere nos vetet, efficitur, ut „Arcadio pinus amica deo" nihil aliud significare possit, atque pinus, quae prae ceteris arboribus Pani placet eique sacra est, eodem plane sensu, quo apud Claudianum XXXV 108 quercus dicitur amica Iovi. Ceterum totum hunc Propertii locum Callimacheam esse imitationem satis docuit Dilthey ll. p. 74.

Spatii mihi concessi angustiae hic iterum me cogunt subsistere. Restant adhuc fabulae heroicae, quas me postero anno absoluturum esse spero.

---

[1] Initia tamen mutationis habes iam apud Theocritum id. VI 6 sqq. cf. Luc dial. mar. 1.

[2] Alias addit E. Rohde d. griech. Roman p. 158 not. 2.

Schulnachrichten.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

1. Übersicht über die einzelnen Lehrgegenstände und die für jeden derselben bestimmte Stundenzahl.

Unterrichtsgegenstände.	VI	V	IV	U III	O III	U II	O II	I	Summa
Katholische Religionslehre	3	2	2	2	2	2		2	15
Evangelische Religionslehre	2		2			2			6
Jüdische Religionslehre	2		2			2			6
Deutsch	3	2	2	2	2	2	2	3	18
Latein	9	9	9	9	9	8	8	8	69
Griechisch	—	—	—	7	7	7	7	6	34
Französisch	—	4	5	2	2	2	2	2	19
Hebräisch	—	—	—	—	—	2*		2*	4*
Geschichte und Geographie	3	3	4	3		3		3	19
Rechnen und Mathematik	4	4	4	3	3	4	4	4	30
Naturbeschreibung	2	2	2	2	2	—	—	—	10
Physik	—	—	—	—	—	2		2	4
Schreiben	2	2	—	—	—	—	—	—	4
Zeichnen	2	2	2	2*					6
Singen	2	1	1	2					6
Turnen	2		2			2			4

Bemerkung. Die mit * bezeichneten Lehrstunden sind fakultativ.

2. Verteilung der Unterrichtsstunden im Schuljahre 1885|6.

a. Im Sommersemester.

Namen der Lehrer.	I	OII	UII	OIII	UIII	IV	V	VI.	Zahl der wöchtl. Lehrst.
1. Dir. Dr. Schroeter, Ordinarius der I.	Latein 8 Griech. 3			Franz. 2					13
2. Oberlehrer Ferwer, Ordinarius der OII.	Gesch. u. Geogr. 3	Deutsch 2 Latein 8 Gesch. u. Geogr. 3		Gesch. u. Geogr. 3	Franz. 3				21
3. Oberl. Peschke, Religionslehrer.	Religion 2 Hebr. 2	Religion 2 Hebräisch 2		Religion 2	Religion 2	Religion 2	Religion 2	Religion 3	19
4. Oberl. Dr. Scholz, Ordinarius der VI.		Physik 2			Math. 3 Naturg. 2	Math. 4	Rechnen 4 Naturg. 2	Rechnen 4 Naturg. 2	23
5. Oberlehrer Dr. Sommerfeld, Ordinarius der OIII.	Deutsch 3 Gricch. 3			Deutsch 2 Latein 9		Gesch. u. Geogr. 4			21
6. Gymnasiallehrer Tischer, Ordinarius der IV.						Deutsch 2 Latein 9		Deutsch 3 Latein 9	23
	Turnen								4
7. G.-L. Feilhauer war beurlaubt.									
8. G.-L. Sugg, Ordinarius der V.	Franz. 2	Franz. 2	Franz. 2			Franz. 5	Deutsch 2 Latein 9		22
9. G.-L. Dr. Otto, Ordinarius der UII.		Griech. 7	Deutsch 2 Latein 9		Lat. Dicht. 2		Franz. 4		24
10. Hilfslehrer Dr. Schuster.	Math. 4 Physik 2	Math. 4	Math. 4	Math. 3			Gesch. u. Geogr. 3	Gesch. u. Geogr. 3	23
11. Hilfslehrer Lerche; seit Johannis Hilfslehrer Baldrich.			Griech. 7		Deutsch 2 Latein 7 Griech. 7				23
12. Cand. prob. Beume.				Naturg. 2		Naturg. 2			4
13. Cand. prob. Boenisch.				Griech. 7					7
14. Past. Schmuckert, evang. Religionslehrer.	Religion 2			Religion 2			Religion 2		6
15. Rabb. Dr. Rippner, jüd. Religionslehrer.	Religion 2			Religion 2					4
16. Kantor Fraenkel, jüd. Religionslehrer.							Religion 2		2
17. Lehrer Krause.							Schrbn. 2	Schrbn. 2	4
18. Maler Senftleben.	Zeichnen 2					Zeichn. 2	Zeichn. 2	Zeichn. 2	8
19. Lehrer Walter.				Gesang 1			Gesang 1	Gesang 2	6
	Allgemeine Gesangstunde 2								

b. Im Wintersemester.

Namen der Lehrer.	I	OII	UII	OIII	UIII	IV	V	VI	Zahl der wöchntl. Lehrst.
1. Dir. Jungels, Ordinarius der I.	Latein 8 Griech. 3		Griech. 2						13
2. Oberlehrer Ferwer, Ordinarius der OII.	Gesch. u. Geogr. 3	Deutsch 2 Latein 8 Gesch. u. Geogr. 3		Franz. 2	Franz. 2				20
3. Oberl. Peschke, kath. Religionslehrer.	Religion 2 Hebr. 2	Religion 2 Hebräisch 2		Religion 2	Religion 2	Religion 2	Religion 2	Religion 3	19
4. Oberl. Dr. Scholz, Ordinarius der VI.		Physik 2		Naturg. 2	Naturg. 2	Math. 4 Naturg. 2	Rechnen 4	Rechnen 4	20
5. Oberlehrer Dr. Sommerfeld, Ordinarius der OIII.	Deutsch 3 Griech. 3			Deutsch 2 Latein 9		Gesch. u. Geogr. 4			21
6. G.-L. Feilhauer Ordinarius der UIII.					Deutsch 2 Latein 7				9
7. G.-L. Sugg, Ordinarius der V.	Franz. 2	Franz. 2	Franz. 2			Franz. 5	Deutsch 2 Latein 9		22
8. Gymnasiallehrer Międzychodzki, Ordinarius der IV.						Deutsch 2 Latein 9		Deutsch 3 Latein 9	23
9. G.-L. Dr. Otto, Ordinarius der UII.		Griech. 7	Deutsch 2 Latein 9		Lat. Dicht. 2*		Franz. 4		24
10. Gymnasiallehrer Dr. Schuster.	Math. 4 Physik 2	Math. 4	Math. 4	Math. 3			Gesch. u. Geogr. 3*	Gesch. u. Geogr. 3	23 2
	Turnen 2								
11. Hilfslehrer Baldrich.			Griech. 5	Griech. 7 Gesch. u. Geogr. 3	Griech. 7				22
12. Kand. Beume.					Math. 3		Naturg. 2	Naturg. 2	7
13. Cand. prob. Knoetel	übernahm seit dem 1. November 1885 die mit * bezeichneten Stunden.								5
14. Past. Schmuckert, evang. Religionslehrer.	Religion 2			Religion 2			Religion 2		6
15. Rabb. Dr. Rippner, jüd. Religionslehrer.	Religion 2			Religion 2					4
16. Kantor Fraenkel, jüd. Religionslehrer.							Religion 2		2
17. Lehrer Krause.							Schrbn. 2	Schrbn. 2	4
18. Maler Senftleben.	Zeichnen 2					Zeichn. 2	Zeichn. 2	Zeichn. 2	8
19. Lehrer Walter.	Gesang 1						Gesang 1	Gesang 2	6
	Allgemeine Gesangstunden 2								
20. Lehrer Schoen.						Turnen 2			2

3. Übersicht über die während des Schuljahres $18\frac{85}{86}$ absolvierten Pensen.

Prima.

Ordinarius: Der Direktor, im Sommersem. Dr. Schroeter, im Wintersem. Jungels.

1. Religionslehre, 2 Stunden: a. Für die katholischen Schüler: Sittenlehre. Lektüre der Apostelgeschichte im Urtext. O.-L. Peschke. b. Für die evangelischen Schüler (Prima und Sekunda): Einzelne Abschnitte aus der Glaubenslehre. Das Kirchenjahr. Kirchengeschichte (III. Periode). Lektüre des Lukas-Evangeliums. Pastor Schmuckert. — 2. Deutsch, 3 Stunden: Die Hauptepochen der Nationallitteratur im Anschluss an die Lektüre. Dispositionsübungen. Vorträge über gegebene Themata. Logik. Gelesen wurde: Schillers Braut von Messina, Goethes Torquato Tasso und Iphigenie. Privatlektüre aus Schillers prosaischen Schriften. Vierwöchentliche freie Aufsätze über folgende Themata:

1. Das Sprichwort sagt zwar: „Reden ist Silber, Schweigen ist Gold"; wann aber ist Reden Gold und Schweigen Silber? 2. Verdient Pompejus den Beinamen „der Grosse"? 3. (Klassenarbeit). Wie erklärt sich die Verurteilung des Sokrates? 4. Über die Behauptung Niebuhrs: „Deutschland ist das Griechenland des Altertums". 4. Wer erregt unser Interesse in höherem Grade, Hektor oder Achill? 6. Inwiefern ist Schillers „Braut von Messina" dem antiken Drama nachgebildet? 7. Die Wahrheit der Worte: „Die Menschen fürchtet nur, wer sie nicht kennt, und wer sie meidet, wird sie bald verkennen" soll nachgewiesen werden mit besonderer Berücksichtigung der Person Tassos. 8. Caelum non animum mutant, qui trans mare currunt. 9. Folgen der Kreuzzüge für Deutschland. 10. Klassenarbeit. O.-L. Dr. Sommerfeld.

Abiturienten-Aufsätze: a. zu Michaelis 1885: Wie erklärt sich die Verurteilung des Sokrates? b. zu Ostern 1886: Charakteristik Philipps und der Athener nach den Olynthischen Reden.

3. Latein, 8 Stunden: Das Wichtigste aus der Stilistik und Synonymik. Wiederholung der schwierigeren Abschnitte der Syntax nach Ellendt-Seyfferts lat. Grammatik. Mündliche und schriftliche Übersetzung ausgewählter Abschnitte aus Süpfles Aufgaben zu lat. Stilübungen, Teil III. Übungen im Lateinsprechen. Freie Aufsätze über folgende Themata:

1. a. In continentia veram felicitatem positam esse demonstratur. b. Dorum narratur migratio. 2. a. Roma quid debuit Scipionibus? b. De Polycratis anuli fabula, qualis efficta sit a Schillero. 3. a. Octavianus Augustus ut in republica felix, ita domi miser. b. Aeneas quae apud inferos viderit narratur secundum Vergilium. 4. Rerum publicarum perturbationes a Gracchis excitatae paucis narrantur. 5. a. Quibus rebus factum sit, ut Athenienses summam imperii maritimi adipiscerentur. b. Regulus praeclarum patriae amoris exemplar. 6. a. Amor patriae multarum virtutum parens. b. Xenophontis ad milites de reditu fortiter suscipiendo adhortatio. 7. Ciceronem et occupatum et otiosum civibus suis profuisse. 8. Brevi exponantur argumenta, quibus Cic. in I. Tusc. disp. libro animorum aeternitatem studet probare. 9. Themistocles quam bene et de universa Graecia et de civitate Atheniensium meritus sit (Klassenaufsatz). 10. Ciceronem initio Tusc. disputationum suae genti nimium tribuisse. — Bei der Reifeprüfung wurden folgende Themata bearbeitet: a. zu Michaelis: Quod Cicero dicit optimo cuique Athenis accidisse, ut in exilium mitteretur, exemplis comprobatur. b. zu Ostern: Graeci libertatem externis bellis servatam domesticis perdiderunt.

Gelesen wurde: Tacit. Annal. I, II mit Auswahl. Cic. Tusc. I, II (letzt. teilw.). Ex tempore: ausgew. Abschnitte aus Liv. Hor. carm. III, IV, ausgewählte Epoden und Satiren. Der Direktor, im Sommersem. Dr. Schroeter, im Wintersem. Jungels. — 4. Griechisch, 6 Stunden: Gelegentlich grammatische Wiederholungen. Mündliches und schriftliches Übersetzen. Zweiwöchentlich häusliche und Klassenarbeiten. Gelesen wurde in Prosa: Plato Eutyphro, und Apologie des Sokrates. Demosthenes, Olynthische Reden. Kursorische Lektüre aus Xenophon und Isocrates. 3 Stunden. O.-L. Dr. Sommerfeld. Dichterlektüre: Hom. Ilias lib. VI, IX, X, XI, XII, XIII; privat. VIII. Sophocles, Oed. rex teilw. Der Direktor, im Sommersem.

Dr. Schroeter, im Wintersemester Jungels. — 5. Französich, 2 Stunden: Grammatische Wiederholungen. Lektüre: Barthélemy, voyage du jeune Anacharsis. G.-L. Sugg. — 6. Hebräisch, 2 Stunden: Beendigung der Formenlehre nebst den wichtigsten Regeln aus der Syntax. Übersetzungen aus dem Deutschen ins Hebräische. Gelesen wurde: Genesis cap. 1—20; Psalmen 42—72. O.-L. Peschke. — 7. Geschichte und Geographie, 3 Stunden: Geschichte des Mittelalters nach Pütz, Grundriss der Geschichte. Geographie von Europa. O.-L. Ferwer. — 8. Mathematik, 4 Stunden: Gleichungen 2. Grades mit mehreren Unbekannten. Arithmetische und geometrische Reihen. Zinseszins- und Rentenrechnung. Kettenbrüche. Diophantische Gleichungen. Kombinationslehre. Binomischer Lehrsatz. Stereometrie. Übungsaufgaben aus allen Gebieten der Mathematik. Nach den Lehrbüchern von Kambly und Heis, Sammlung von Aufgaben. Die Abiturienten bearbeiteten folgende Aufgaben:

a. zu Michaelis: 1. Von fünf Zahlen bilden die ersten drei eine geometrische, die letzten vier eine arithmetische Reihe. Die Summe der vier letzten ist 20, das Produkt der zweiten und fünften Zahl ist 16. Wie heissen die Zahlen? 2. Ein Dreieck zu konstruieren aus der Differenz zweier Seiten a—b = d, der Differenz der diesen Seiten gegenüberliegenden Winkel $\alpha - \beta = \delta$ und dem zur dritten Seite gehörigen äusseren Berührungsradius ϱ_c. 3. Ein vertikal stehender Turm AB wird aus drei Standpunkten C, D, E gesehen, welche in einer Graden und mit dem Fusspunkte des Turmes in derselben Horizontalebene liegen. Von C und D aus erscheint der Turm unter demselben Winkel α, von E aus unter dem Winkel β. Wenn ausserdem die Strecke CD = a, DE = b gemessen wird, so soll man die Höhe des Turmes und dessen Entfernung von jedem der drei Standpunkte bestimmen. a = 43 m. b = 124,5 m. $\measuredangle \alpha = 52^0\ 43'\ 32''$. $\measuredangle \beta = 23^0\ 40'\ 52''$. 4. Es soll eine Hohlkugel von Eisen verfertigt werden, welche k Kilogramm wiegt und d Centimeter dick ist. Wie gross muss der äussere Durchmesser derselben sein, wenn das spezifische Gewicht des Eisens s ist? k = 375 kg, d = 18,5 cm, s = 7,5. b. zu Ostern: 1. Die Gleichung $x^5 + 2x^4 + 3x^3 + 6x^2 + 16x + 32 = 0$ ist aufzulösen. 2. Ein Tangentenviereck soll konstruiert werden aus der Differenz einer Diagonale und einer Seite e—a = d, einer Seite b, welche die freien Endpunkte der beiden genannten Strecken verbindet, aus dem Winkel α, den die zuerst erwähnte Seite mit der anderen an sie stossenden Seite bildet und dem Winkel (b, e), den die zweite Seite b mit der Diagonale e einschliesst. 3. In einem Rhomboide, dessen Fläche bekannt ist, verhalten sich die Diagonalen zu einander wie m : n. Wie gross ist der Umfang des Parallelgramms, wenn der Winkel, unter welchem sich die Diagonalen schneiden, gleich α ist? F = 180 qm. m : n = 5 : 2. $\measuredangle \alpha = 68^0\ 25'\ 32''$. 4. Ein leuchtender Punkt hat eine solche Lage zu zwei Kugeln mit den um a von einander entfernten Mittelpunkten A und B und den Radius r und R, dass die grosse vom Schattenkegel der kleinen grade umhüllt wird. Welches ist die Entfernung des Punktes vom Mittelpunkte der kleinen Kugel und wie gross ist das auf ihr beleuchtete Stück? a = 13 cm. r = 2 cm. R = 7 cm. G.-L. Dr. Schuster.

9. Physik, 2 Stunden: Mechanik. Akustik. Mathematische Geographie. Nach dem Lehrbuche von Trappe. G.-L. Dr. Schuster.

Obersekunda.

Ordinarius: Oberlehrer Ferwer.

1. Religionslehre, 2 Stunden: a. Für die katholischen Schüler: Allgemeine Glaubenslehre oder die Lehre von der göttlichen Offenbarung. Lektüre des Evangeliums des heil. Matthäus im Urtext. O.-L. Peschke. b. Für die evangelischen Schüler kombiniert mit Prima. — 2. Deutsch, 2 Stunden: Ausführung der deutschen Metrik im Anschluss an die Lektüre. Rhetorik. Disponierübungen. Gelesen wurde: Lessings Minna von Barnhelm und Schillers Jungfrau von Orleans. Freie Aufsätze über folgende Themata:

1. Meer und Wüste. 2. Mit welchem Recht schreibt Herodot den Athenern den Hauptanteil am Ruhme der Besiegung der Perser zu? 3. Der Einfluss des Alkibiades auf den Gang des peloponnesischen Krieges. 4. Schön ist der Friede, aber auch der Krieg hat seine Ehren (Klassenaufsatz). 5. Entwicklung der Handlung in Lessings Minna von Barnhelm. 6. Schillers Lied von der Glocke nach Anlage und Inhalt. 7. Die Natur

zeigt nicht nur, wie klein, sondern auch, wie gross der Mensch sei. 8. Wodurch gewinnt Hannibal unser Interesse? 9. Fortschritt der Handlung in den drei ersten Aufzügen der Schillerschen Jungfrau von Orleans. 10. Sulla und Cäsar, ein Vergleich (Klassenarbeit). O.-L. Ferwer.

3. Latein, 8 Stunden: Wiederholung der Tempus- und Moduslehre. Gebrauch der Konjunktionen. Einübung der Lehre vom Infinitiv und von der indirekten Rede nach Ellendt-Seyfferts lat. Grammatik. Übersetzungsübungen nach Süpfle, Übungsbuch II. Im Wintersemester wurden freie Aufsätze angefertigt über folgende Themata:

1. Magnos fuisse et patriae amore et fortitudine priscos Romanos exemplis comprobetur. 2. De vita et moribus Aristidis. 3. Urbem Romam Romulus condidit, Camillus restituit, Cicero servavit.

